



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Caput 27. Inuicta in morbis acutissimis patie[n]tia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

C A P V T XXVII.

*Inuicta in morbis acutissimis patientia.**Tob. 12.*

Monebat Raphaël Tobiam: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te: omne igitur quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, &*

Ecl. 2.

in humilitate patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Morbos quasi donum & amoris pignus à Patre amantissimo missum cum grati animi significatione recipiebat, & velut particulam Crucis Dominicæ oblatam exosculabatur.

Corpus imbecille

Corpus naturâ debile, ieiunijs, vigilijs, laboribus & verberationibus extenuatum, exhaustum & eneruatum morborum ilias inuasit, & acutissimis quidem doloribus dentium sæpe torquebatur,

fractum morbis.

nonnunquam colicis, sæpissimè calculi grauissimis aculeis lancinabatur, nec gemitum quidem, vix alijs tolerabiles cruciatus exprimebant: quid gemitum dico? vox animi constantis & excelsa nonnunquam ab alijs audita est: Adde, Domine, dolores, auge patientiam.

*Calculi doloribus**optat maiores.*

Portenti simile fuit, aliquoties eum lapillos qui pisorum magni-

gnitudinem, imò fabarum longitudinem æquarent, sine studiorum intermissione velut indolenter excernere; nec ideo lecto decumbere, fomenta, balnea, vel alia corporis leuamenta sectari cum stupore Medicorum; horum tamen quoties opus adhibebat operam, nec vsum pharmacorum suo tempore negligebat: vnde corporis ægri leuandi gratiâ nullis parcebat sumptibus, quoties necessitas suaderet; at si vis mali curam superaret, in diuinę providentię brachijs & vulneribus Saluatoris suauissimè quiescebat: hic in aduersis omnibus asylum quærebat, & refugium paratum reperiebat: vt quàm moderatus erat in prosperis, tam lætus & securus Deo fretus esset in morbis & aduersis omnibus, recolens versiculum Psaltis regij: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.*

C A P V T XXVIII.

Curam Sanctimonialium in S. Vincentio suscipit cum insigni fructu Cœnobij, delicatos cibos in morbis etiam refugit, & ad nosocomia mittit.

CVrę Pastoralis curam adiecit aliam, non